



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Alexander Ep. 11. Aug.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Valeriano destitit, sed subinde arridēs illi, *verte* exclamavit, & *manduca*. Et ille quidem hoc epulo indignus fuit. At celi, quos jam dudum odor nobilissimi convivii exciverat, ad se tam nobile ferculum rapuerunt, & convivas, si modo placet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lip. & Baron.*

S. ALEXANDER EP. 11. Aug.

IN uno vultu & Philosophum & Carbonarium & Episcopum & Christi Martyrem agnosce. Poterat equidem ALEXANDER inter sapientiae candidatos facile princeps esse, cum ipsi jam honores suum clientem ambirent. Sed maluit ille honestiore ambitu sordidatus calum prensare & inter silvas abditus, quibus stultissima mundi vota notaret damnaretque, carbones facere. Interea advenit Gregorius Pont. (is qui à magnis mirisque factis nomen habet) Comanis Praesulem daturus. Hic cum omnium vota in opulentos & genere ac clientelis nobiles spectaret, unus Gregorius virtutem potius ait in solium extollendam. ubi ubi demum illa etiam sub lacero pallio latitaret. Quin igitur (cum risu è turbâ nescio quis subdit) dictatore ab aratro nobis, aut certe à carbonibus suis ALEXANDRVM adduci imperas splendentemque jam antè à rogo suo infulâ insuper
exor-

exornas? Enimvero Numine ita suggerente jubet adduci hominē Pontifex; mox indolem & modestiam altius aestimans pro imperio vitæ ordinem sibi explicare; eâ intellectâ & sordibus absterfis mitrâ indui, indutum ad concionem dicere jubet. Tunc enim verò ALEXANDRVM Præsulem suū cives jam non inviti salutarunt, finiitq; cum plausu fabula. Ille cū sanctè diu munus suum administrasset, à fidei hostibus demum igne exustus iterū carbones dedit, sed quibus Ecclesia hunc diem pulchrius quàm gemmis suos olim Antiquitas signat. Ex S. Gregor. *Thaum. & Virid. Rad.*

S. S V S A N N A V. M. 11. Augusti.

V Nam lex vetus nobis S V S A N N A M laudat, pudicitiae matronalis exemplar; multo rectius nos alteram, Virginitatis speculum & post sanguinem pro Christo fusum longè pulchriorem illâ alterâ. Quare oculos etiam Maximiani in se, sed longè antè Christi rapuit; cujus thalamo ut servaret sese, illius amores cōtempnit. Quid, quòd eos, qui conciliare S V S A N N A M Maximiano adlaborarunt, prius S V S A N N A Christo conciliavit? Eam ob rem cū grave Virgini certamen immineret, ab Imperatrice Serenâ (Christo clam jam tunc addicta

hæc